
XXII. *Description of a new Species of Viola.* By Thomas Furlly Forster, Esq.
F. L. S.

Read July 7, 1801.

VIOLA CONCOLOR.

VIOLA caulibus erectis, foliis lato-lanceolatis stipulisque lanceolato-linearibus integerrimis;

Habitat in uliginosis Americæ Septentrionalis. 2

DESCRIPTIO.

Radix fibrosa, ramosa, alba, perennis.

Caulis herbaceus, erectus, flexuosus, fulcato-angulosus, simplex, hispidus, pedalis et ultra.

Folia alterna, lato-lanceolata, acuminata, integerrima, rugosa, ciliata, dilute virentia; variant sæpe argute dentata aut lacera.

Petiolus brevissimus, femiteres.

Stipulæ quatuor; duæ majores, duæ minores; lineari-lanceolatæ, arcuatæ, integræ, ciliatæ.

Pedunculi duo, minimi, ex axillis foliorum; unus ferens florem abortivum.

Braëtæ duæ, minimæ, lineares, obtusæ.

Flores

Flores parvi, dilute virides, plantæ concolores.

Calyx: *Perianthium* pentaphyllum, concavum, hamosum.

Corolla: Petala quinque viridia:

duo *superiora* minima, linearia, recurva, integra;

duo *lateralia* linearia, dentata, recurva;

infernum bipartitum.

Calcar brevissimum, obtusum.

Stamina quinque, subulata, brevissima.

Antheræ viridi-purpureæ, basi bifidæ.

Pistillum breve.

Stigma non urceolatum, sed hamosum, perforatum, duplo longius antherâ.

OBSERVATIONES.

Culta rarissime floret. In horto meo jam annos plus quatuordecim existit; at cum sæpius ex America repetita esset, bis solummodo, primum duntaxat anno, hoc tanto temporis spatio floruit. Nusquam alias virecentem nisi in Horto Regio Kewensi vidi. Specimen siccum inde decerptum in Herbario egregio Dom. Jos. Banks, Bart. exstat, sed nondum in aliquo (quod sciam) de hac re scriptore hæc species notata est; nec pro certo habeo quod vere sit *Viola*, forsan cum multis aliis sub novo genere melius distinguenda.

Cum omne hoc genus (*Violam*) semper magno studio excoluerim, species haud minus sexaginta notavi; et cum per otium licebit, libenter genus, nunc plurimis mendis laborans, expedire conabor. Duas tantum observationes speciminis loco huc afferam.

Viola lanceolata Gmelin ex Siberia descripta non est eadem quam sub eodem nomine Kalm ex Canada proposuit. Hæc foliis perangustis lanceolatis nitidis, radice fibrosa, stolonifera; illa foliis ovato-lanceolatis pubescentibus, radice fusiformi, acaulis.

